



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici**

**Leoni, Giovanni Francesco**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

55 Haereticorum clericorum bona, quomodo distribuantur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10316**

sententiam redeat ad fidem, & dummodò non sit relapsus, quia redeundo recuperat beneficium, & bona, secus autem, si post sententiam, quia tunc non sine Apostolica dispensatione, ut post Dom. Imol. tenet Franc. in cap. ut commissi prope fin. de hæret. in 6. quem refert Pegna. 3. par. Direct. comment. 113. vers. sed dominicus.

§4 † Redeuntes autem ad Ecclesiam recuperant bona quasi jure postliminij, arg. tex. in l. si quis forte, & tot. tit. C. de postlim. rever.

§5 Tertia pœna, † quam clericus hæreticus patitur, est quòd bona ejus publicentur, & si habet ecclesiam, eidem ecclesiæ, à qua stipendia receperat, applicantur, si enim clericus in pluribus ecclesiis diversos redditus receperit, pro rata inter easdem sunt dividenda, c. excommunicamus, primò, §. damnati verò, juncta gloss. in ver. stipendia, & ibi Butr. extr. de hæret. & Diaz eod. c. 106. circ. med. Si autem nullam habet ecclesiam, puto quòd in pios usus sint applicanda per Episcopum distribuenda, Abb. in dict. cap. excommunicamus ante num. 1. quem sequitur Anna. colum. 2. de hæret. & Diaz dict. c. 106. ubi supra, & vers. quia ille textus.

§6 Quarta, † quòd post abjuratorem est perpetuò carceri mancipandus, & constitutus in sacris, degradandus, ut c. 1. de hæret. in 6. Et hoc casu solus Episcopus, adhibitis tamen totidem Abbatibus usum mitræ, & baculi, ex privilegio Apostolico habentibus, si in civitate, aut diocesi reperiri, & commode interesse possint, alioquin aliis personis in ecclesiastica dignitate constitutis, quæ ætate graves, ac juris scientia commendabiles existant, ad degra-

dationem procedere potest, dict. capit. 1. & Concil. Tridentin. cap. 4. de reform. sess. 13.

§7 Degradatio † autem est duplex, verbalis, & actualis, ut c. degradatio, de pœn. in 6. & Pegna eodem Direct. comment. 45. vers. ex his colliges par. 3. Verbalem depositionem facere potest non solum Episcopus, sed etiam Vicarius, qui potest contra clericum sententiam promulgare, illum pluribus gravibus de causis ordinum ministerio, sive executione privando, quæ est verbalis degradatio, aut potius depositio vocatur, ut animadvertit Jul. Clar. in sua pract. crim. quest. 74. & declarat Pegna eodem comm. 45. vers. ex his, & vers. actualis autem, & sentit. Felyn. in cap. at si clerici, circa fin. de jud. Propriè verò actualis degradatio in crimine hæresis locum habet. Clar. in pract. crim. ubi supra, quia ordinatus tunc actualiter, & personaliter privatur, exiit, & spoliatur ordinibus ecclesiasticis, Pegna eodem. vers. actualis autem: Et ex dispositione antiquorum canonum in degradatione Episcopi, duodecim Episcopis; in degradatione presbyteri sex; & in degradatione diaconi tres Episcopi requirebantur: ut in c. si quis tumidus, cum duobus sequ. 15. quest. 7. & gloss. in cap. 1. de hæret. in 6. Qua autem forma fiat degradatio, trad. tex. in dict. cap. degradatio, de pœn. in 6. & melius habetur in Pont. Rom. in quo ad litteram omnia requisita leguntur. Hæc autem degradatio actualis non Vicariis, aut aliis inferioribus, sed ab habentibus dignitatem Episcopalem tantum fieri potest, juribus supra allegatis.

§8 Quintam † pœnam incurrunt hæretici, qua traduntur curiæ seculari, si sunt relapsi aut hæresiarchæ; de quibus Ecclesia

P p p non